

Contemplationum mundi dissertatio quinta : Lunæ, Veneris, Mercurii, exterio...

Achrelius, Daniel,

11 Ae 4:o



National Library
of Sweden

IN NOMINE DOMINI

CONTEMPLATIO
NUM MUNDI

DISSERTATIO QUINTA

LUNÆ, VENERIS, MERCURII,
exteriora & interiora quantum scire datum
est exhibens.

In quo Argumento

*Ampliss: Facultatis Philosophica
impetrata venia.*

P R Æ S I D E
DANIELE ACHRELIO.

Ingenium suum exercebit

GABRIEL STEENBERGIUS,
Austro-Finlandus.

In Audit. Max, die

Anno 1679.

A B O Æ,

Excus. apud Viduam Hansonii.

Eno Cand: Johan Steenberg

*Disg.
Abo
400*

In Nomine Domini

CONTEMPLATIO

NUM MUNDI

DEUS ET NATURA

IOHANNIS VENERIS MERCURII

OPUS POSTERIORIS PARTIS HUIUS LIBRI

in hoc Argumento

Abbas Paulinus Philosophus

PRÆFATIO

GABRIEL ACHRELLIO

Præfatio

GABRIEL STEINBERGER

Abbas Paulinus

In hoc libro

1780

Paulus Johann Steiner



Handwritten text at the bottom of the page, including the name 'Paulus Johann Steiner' and other illegible markings.

CAP. SECUNDUM.

De Lunari Globo.

§ I.

Sublimem ætheris venustatem, dum properamus intueri. Contemplantium oculis se primo offert LUNA, humorum *Domina, regina noctis, gaudium Cæli.* Ejus admirabilis ^{Epitheta} structura, ut aliquo modo concipiatur animo, placet nobis, ^{Luna.} post præmissam brevem sideris descriptionem, tum exteriora schemata, tum interiores virium operationes, simplici serutinio evolvere.

§. 2. Est ergo LUNA corpus sidereum, opacum, debita ^{Ejus des} proportione vastum, elatumque à terra, ^{scriptio} Solido liquidum, scabro rotundum, perpetuo mobile, à Deo in ornatum natura, ac dominium humorum constitutum. Loco generis est corpus sidereum, hoc enim ut essenziale Latius, de omnibus stellis prædicatur in quæstione quid, non conversim. Densam verò esse Lunam & opacam, patet partim à phasibus ejusdem, partim ab Ecclesiis. Enim vero, hoc Sy- ^{Ejus} dus singulis diebus diversas exhibere crescentis & decrescents ^{phases,} imagines, clarum est; dum apparet nunc plena, modo semiplena; aliquando prætumida, iterumque maculosa; interdum curvata in cornua, mox æqua portione divisa; nunc immenso orbe plena, statim obscura planè & squalida. Istas tam varias apparentias, tot schematum vultus, induit pro vario ad Solem adspectu. In novilunio conjuncta Soli, sub ejus radijs latet, inde digressa, primis diebus in occasu conspicitur, tenui luminis filo illustrata; mox plenior evadit, quo majori tractu discedit ab ipso luminis fonte, donec toto disco, ex diametrali oppositione, illuminatur. Iterum deinde decrescit, gradatim antiquas exhibens phases, donec sub Sole condatur. Credo singulari Dei consilio factum, ut superiora corpora, perenni ista vicissitudine, œconomiam mundi administrant.

Quorsum enim multiplicia ista phasium miracula essent ordinata, nisi iisdem tum vis lunæ dominiumque in humida, tum lucis eiusdem incrementum decrementumque temperaretur: digna quæ notentur, sunt Illustriss. Philosophorum Athanasij Kircheri verba; *Si luna perpetuo illustrens nobis faciem ostenderet, præterquam quod nulla foret menstrui temporis discretio, terram quoque tam superabundanti lunaris luminis virtutisque affluxu perituram necesse foret, utpote humoris copia obrutam absorptamque; quemadmodum si Sol perpetuo sub uno eodemque parallelo decurreret, terreni mundi machinam perpetua astus violentia dissolutum iri nemo sapiens debet dubitare. Hinc ita sol & luna in hoc mundi theatro disposita sunt, ut luna perpetuo solaribus exposita radijs, calorem solis humida virtutis sue efficacia temperaret: Et ne eandem semper facie terra superficiem feriens terram humoris sui tumefactivi copia obrueret, faciem suam ita terreno globo obvertit, ut non semper plena, nec dimidia sed successivo quodam lucis suæ decremento, vel incremento, nunc luce prorsus deficiens, nunc resumptis viribus aut adducti humoris copiam minueret, aut ejus defectum proportionato lucis augmento, resarciret. Est itaque Luna ita constituta, ut tantum nobis ex tenebrosa faciei suæ parte menstrui spacij decursu obverteret, quantum ex lucida suæ partis facie: quemadmodum enim in plenilunio totam nobis faciem lumine imbutam, ita novilunij tempore totam tenebrosam faciei partem obvertit; hoc modo in quadraturis dimidium lucis & tenebrarum nobis ex æquo offert: in sextili pariter, aspectu tantum nobis tenebrarum, quantum in tuberosa Luna illustris facie lucis exhibet, ut sic partitâ veluti partibus, terrenum corpus in aqua lucis,*

tenebrarum, caloris & frigori, rarefactionis & condensationis
proportione, in suo vigore conservaret: Quod enim lux Luna
 in terra dissolvit, hoc frigus influxu suo stringit; quod illa
 dillegat, hoc iterum congregat; quod illa nimia sua tepiditate
 labefacit, hoc à putredine conservat. Alterum argumentum,
 quo probamus lunam, lumen à sole mutuari, ab Ecclipsi desumptum est.
 Quando nimirum ea, umbram terræ ingressa, obscuratur vel ex parte,
 vel totaliter; contingit quidem aliquando, quod obscuriorem lucem referat, id
 vero videtur oriri à radijs solis refractis ad atmosphæram
 terrestrem versus axem coni, quem luna ecclipsata est ingressa.
 Jam verò, *de magnitudine* hujus sideris, certi aliquid terminare,
 audax opus erit futurum. Plinius terra majorem longè
 fore, suo tempore autumavit, lib. 2. c. 11. Recentiores autem
 Mathematici minorem esse contendunt, ducentes argumenta,
 ex umbra terræ. Ut ut sit, veram ejus magnitudinem, vix
 putamus validis argumentis posse demonstrari, terra autem
 quod minor sit, ostendit ecclipsis Solis, quem Luna tot partibus
 inferior, nobisque propior, non ita obscurat, quin etiam
 relinquat in majori defectu, lucidum de sole circulum, qui lunæ
 discum in coronæ modum cingat. Pari modo difficilem rem
 esse judicamus, *distanciam Lune* à nobis percenseri; quo vero
 loco constituta sit facile est definire, nam Eruditorum observa-
 tionibus accurate ostenditur, *illam, & stellis fixis, & planetis*
cæteris nobis propiorem: Probant rem, partim ecclipses solis
 & lunæ, impossibile enim foret, Solem, Planetasque alios, ejus
 corporis objectu, nobis surripi, nisi propius esset oculis no-
 stris admota; luna enim dum deficit & obscuratur, umbram
 terræ non ingrederetur, nisi adeo ipsi telluri foret vicina.
 Partim paralaxes, quas hæc laxiores cæteris sideribus efficit,
 utpote nos è vicino magis adspiciens. Porro, *ex solidis &* *Solide*
fluidis *fluida.*

fluidis partibus constare lunam, non videtur improbabile, nā partes ejus minus perfusæ lumine, si dicantur gurgites liquore repleti, lumen solis magis imbibere minusque reflectere; & partes magis illustratæ, si dicantur solidæ & consistentes & magis aptæ ad solis lumen reflectendum, nihil fortassis erit contra fidem: Sie enim mihi simpliciter persvadeo, omnia mundi corpora, ex quatuor elementis esse composita, licet hæc in quovis globo omnino differant, non quidē essentiali sed tantū accidentaliter discrepantia, idq; partim ob situm quem sortita sunt in mundo, partim ob Solis omnia alterantis vicinitatem. Quare, dico liquidiores lunæ partes, analogum Aquæ nostræ referre, limpidas tamen & tenuioris substantiæ esse, idque maculoso & fusco schemate in luna representari. Sub concavo ejusdem sphaeram ignium latere, frivolum est dicere, quin autem formalis hujus Elementi spiritus, ad conservandum humidum lunare, per illam molem sit diffusus, non ambigo; ac licet ignis & Aqua contrariarum sint qualitatum, miro tamen fœdere unum alterum conservat. Solidiorum partium coronata congeries, seu ossatura lunæ, intra cujus alveos humor continetur seque agitatur, sideris terram constituit. Quare stellam hanc *Scabrorotundam* in definitione appellamus, non rotunditate geometrica, ut sit polita & levis, sine partium eminentium structura, sed Physica, admittens cavernas profundissimas, valliū latiora, & altam compositionem scabritierum, in montium veluti culmina surgentium. Idque ea de causa, ut solis radij, in tot tantosque anfractus reflexi, aëris lunaris calorem intenderent, hic mari lunari communicaretur, & sic hujus caloris efficacia, totius globi profluvium, in emolumentum terræ excitetur, deinde ut lux ipsa ad tellurem illuminandum instituta, ex varia illa radiorum in asperis & scabrosis superficiebus incidentium reflexione mirificè intendatur. Cæterum moveri lunam gyro perpetuo, sensus oëulorum evincit, apparet enim nunc admota cœlo, jam contigua montibus, iterum in Aquilonem elata, mox deje-

Luna

moveretur.

dejecta in austrum. Ergo certum est illam motu diurno, ut cætera astra, circumagi 24. horarum spatio, motu proprio singulis mensibus 12. Domos Zodiaci percurrere. Procedit autem ab uno tropico in alterum, spiras agens & solem imitata; sicque in latitudinem mota, deflectit ab Eccliptica, ita ut una pars ad Boream, altera ad austrum vergat. Duæ illæ intersectiones, nodi dicuntur, unus boreus, per quem luna fit septentrionalis, alter per quem in austrum evadit. In his punctis, Eclipses lunæ fiunt, cum inibi Sol & luna opponuntur e diametro. Reliqua definitionis verba indignant, *Efficientem IMMORTALEM ET BENIGNISSIMUM DEUM*, qui Cælorum diffudit expansa, qui fundamenta posuit globorum, qui fecit magna & mirabilia quorum non est numerus. Et *finem*, qui est absente sole vicaria opera illuminare mundum, menses periodica revolutione constituere, tempora discernere, & influxiva vi, de qua mox uberius, naturam rerum conservare, adde stimulos divinitatis, qui nos jubent cælorum peragere tentoria, & ab expansione enarrantium gloriam Omnipotentis, tantarum rerum auctorem, in æternum Laudare.

§. 3. Porro ut Tellus in puro aëre suspensus, securè per-Centrum
sistit, fundatus super suum *centrum*, nec versus sidera ullum *Luna.*
casum metuit, Sic *Luna* & *PLANETÆ*, nullius lapsus sibi
versus Terram pertimescunt, sed stabilita suis centris, Liberâ
itinerâ, in ipsis vaporum oceanis peragunt. *Est autem cen-*
trum Globorum illud, in quod graviore partes naturali
appetitu inclinant, & circa quod ad conservationem totius,
se arctè uniunt. Leviores autem portiones ab humido ex-
spiratæ, à centro per canalium, fistularum, tot meandrorum
ductus, quibus vasta illa corpora sunt perfossa, exspiratæ,
tendunt ad circumferentiam. Atqui cum nullum mundi cor-
pus, cum altero inæqualitate conveniat, sed singuli à sin-
gulis, juxta leges æternas differant; necessariò sequitur sin-
gulorum globorum massam, tantum id appetere, quod sibi

maximè naturale est, ab alijs vero velis remisque fugere, idque fieri non posset, nisi singuli suis centris essent instructi. Quorum positu distantias ab invicem habent impermutabiles, easque æthereas semitas juxta quas, perpetuo volvuntur, nec durante rerum statu illas transgredi possunt. Ergo ut Terra centrum habet fixum in corpore immobili, sic sidera centrum itidem fixum habent in corpore mobili, nec unquam pertimendus ante finem mundi earum casus, quia fulcrum, cui innitantur, habent fixum, constans, & vehementer stabile.

Maculæ lunares §. 4. Macularum copia respersum esse lunare corpus, directis in ejus discum oculis, semper observamus. Eas Plinius *terrenas sordes fore cum humore raptas*, sibi persuadebat. Nos vero putamus Vapores halitusque sublunares, nunquam ire in regionem Lunæ, tot intervallis, tantaque à nobis distantiam altitudine; *potius ergo sunt & solidarum partium coronata congeries, & Liquidarum, maria mariumque sinus referentium, voragine, cum undiquaque intersintis insularum gemmis.* Istæ vero maculæ vel *antiquæ* appellantur, quæ sine tubo videntur, vel *novæ*, quæ sine tubo non possunt discerni. singulorum nomina, magnitudinem & situm, vide exposita, apud *Hevelum, Ricciolum, Scottum.*

Nō sunt in Luna homines. §. 5. Sed dicat aliquis si in luna dantur littora & Scopuli, & insula, aquarum ebullitio, allisioque fluctuum in gurgitum meandris, quis negabit, quin & hic inveniantur sylvarum paradisi, clarissimarum urbium spectacula, hominumque & ferarum copia, dato enim uno absurdo, ut illiputant, infinita sequi necesse est. Nimis præposterè de meo ingenio judicant, qui ita sentiunt; Credo me jam & tot scriptorum monumentis didicisse, quid sit naturam per naturam explicare: Cum ergo lunare corpus, perpetua rapiditate & consequenter ejus oceanus, continua vertigine agiteretur; sitque situs ejusdem, ut & omnium stellarum, toto cœlo animantium vitæ disproportionatus: sequitur exinde, nec animalia, vel plantas utpote
quæ

quæ hominis tantum gratia sunt condita hic inveniri, accedit auctoritas scripturæ, quæ astris longè diversum munus destinauit; illustris est locus Ps 14. ubi sola terra hominum habitationi adsignatur. Deuterò. v. 4. dicitur Deum creasse *astra in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cælo sunt.*

§. 6. Illud quod globus perpetuo eructat, ATMOSPHERAM constituit, quæ nihil aliud est, quam effluuium vaporum mixtum, circum fusum Lunæ, perpetua pericyclost, resorpti & ejaculatum in bonum naturæ. Nebulas, pluvias, cæteraque meteorologicarum impressionum miracula, ex ista vaporum conglomeratione, circa lunam fieri, nec tubo observare potuerunt Contemplatores; saltem correspondentem ijs subtilissimum rorem, ab humido lunari causatum notarunt; illum vero sol, quæ facie ferit, absumptum in auras spargit, quod vero in parte averfa à sole stabulatur, instar subtilissimi defluvij superficiem irrorat.

§. 7. Iam vero, totam lunæ compagem, etiam virtutem, planè specificam, à Deo sibi inditam, emittere in mundum, quæ inenarrabili magnetismo adglutinat se humidis corporibus, Veteres plerique credidere. Sed nec quisquam Recentiorum hanc rem vocavit indubium. Docent quippe consensu unanimi, Vim lunæ, radijs ejus delatam in terram, humidamirificè roborare, ac genitalem rorem perfundere, accedens implere corpora ea quæ abscedens inania reliquit, frondes quoque & omnia animalia adeoque sanguinem eorum, luminis facultate augete aut minuere: adde agitationem marium, impletionem fluminum, fluxum & refluxum Oceani, quem ab amici sideris normali influxu, causari *Mela*, *Plinius* & apud *Scrabonem Possidonius* testatur, cujus verba in hunc modum sunt concepta: *Quo tempore luna, supra Horizontem emergit mare quoque conscendit terram, aquis sensim intumescens, quousque Cæli apicem gubernatrix illa freti teneat; Tum enim plenior fertur inundatio, ubi vero declinare ceperit, rursus à terra pelagus redit, in Oceani sinum, donec ad occasum*
luna

Virtus
lunæ
specifica

luna descenderit. Nam tunc fluctus exundant, quousque sub terra in medio cæli consistat, tum enim à litore digrediuntur, quo ad iterum in ortum unde cæpit revolvatur, & finitori nostro admota, recidens aquas torqueat, agatque in lictora. Fit vero omnis operatio virium Lunarium in inferioribus hisce, quando Sol, mundi vita, potentissimarum virtutum efficacia, latentem in ejus corpore qualitatem exsultat, eandem mox in terrenum mundum diffundit, suisque radijs commixtum, pro ratione situs lunæ in ejus circulo, terrestria loca ampliat, irrorando sæcundat, & ad peragendas rerum generationes disponit; idque quando profluvium suum æstuantibus solis radijs miscuerit, temperatosque virtute rarefactiva & humectativa imbuerit, nocivos calidissimos solis radios, terrenarum rerum utilitati aptiores reddiderit. Nam luna si suos halitus continua eructatione in terram effunderet, ingenti humoris copia, eandem suffocatam destrueret; si vero sublata virtute lunari, Solius Solis arbitrio relinqueretur terra, omnino radiorum intollerabili æstu, in pulverem abiret. Ergo singulari consilio factum est, ut luna non nisi circa conjunctionis & oppositionis puncta, ubi influxus ejus normalis est, quam maximè vim suam exerat, non item in quadraturis, aut punctis ejus vicinis, quia tunc temporis radius influxivus, non nisi obliquè terram nostram ferit, ut loquitur Kircherus. Quæ de signis tradi solent; nimirum quod quintus dies ab illuminatione suspectus sit nautis; quod 17. pluviam adferat; quod si luna circa diem quartum non appareat, turbidum erit toto mense; quod si cernantur circuli circa lunam duplices, horridæ tempestates consequentur: Quod eclipses ejas comitentur venti; & quæ sunt alia, lege apud eos qui de præfagiis temporum aliquid certi tradiderunt.

§. 8. Tempora LUNÆ sunt menses & anni, & mensis quidem triplex est. *Permigrationis, quo luna perambulat zodiacum*

diacum 27. diebus, horis 7. 43. min. moveturq; in quovis signo, Tempo-
ra lunæ, juxta calculationem Joannis de Sacro bosco, duobus diebus hor. 6. min. 39. Secundus mensis est *apparitionis*, conflatus ex viginti octo diebus, per quatuor hebdomadas distributis. Tertius *Consecutionis* nominatur, quo luna, à sole accensa, percurrit circulum, & ad illum Ecclipticæ gradum tendit, in quo prius fuit illuminata. Sed cum ibi solem non inveniat, jam spatia unius signi prætergressum, biduum insummit, cum 4 horis, & 44. min. donec iterum principi sideri jungatur, atque ita emergunt dies 29. cum dimidio & aliquot minorum fractionibus. Hinc Lunaris Annus exurgit, tam Astronomicus quam Civilis, de quo videatur Causinus Lib. 1. de Domo Dei p. 72.

§. 9. Lunam & cætera astra continuo motu torqueri ab Angelis Veteres plerique credidere, validis autem argumentis id hactenus non probarunt; citant & provocant ad auctoritatem Aristotelis, quæ habetur Octavo Physicorum libro, cap. 6. Sed ibi unum & sempiternum rectorem universi agnoscit Philosophus, non tamen ab extrinseco moventem, de angelis motoribus nihil dicit, imò potius negat, cum tollat illam quam alij fingunt moventium multitudinem. Ricciolus & Kircherus, alijq; multi existimant astra moveri ab intelligentijs, tanquam adstantibus, non autem tanquam ab animabus informantibus ea, hoc est ab extrinseco principio. Verba sunt clara in Itinere Kircheriano Cœlesti. *Quemadmodum in terra singulæ rerum species, præsidem angelum habent; ita Cœlestium globorum corpora, qui ea in fines suos, à natura intentos dirigant, habent.* Et mox infra. *Sunt singulis Astris, velut in choros quosdam distributæ angelicæ custodiæ, quarum ministerio globorum vis, in bonum universi administratur.* Discursus eorum in hunc modum formatur: incongruum est stellas à principio moveri intrinseco, quia pugnat dari naturalem inclinationem ad motum, nisi respectu alicujus formæ determinatæ; Sed motus Cœli non tendit in

Angeli
non ro-
tant As-
tra

aliquem motum definitum, in quo quiescat, quemadmodum coeetera corpora consuevere, ex quo inferunt, non esse illi formam inditam à qua moveatur. Deinde conquirunt argumenta, ab ordinatissimo syderum motu, quem tam constantem nequaquam fore judicant, si non ab angelis rotarentur. Enim vero, postquam ad Tropicos deveniunt, per adversa vestigia reflectunt iter, nec ultra progrediuntur, cum ergo hic non exhaurientur eorum vires, aut obice aliquo in alteram partem reverberentur, fatendum est non à forma interna, sed assistente intelligentia istos flexus reflexusque fieri. Tandem ut angelis imponant officia bajulorum, ad dicta scripturarum etiam provocant. *Sub quo curvantur qui portant orbem* Job. 9. *Columna Cæli contremiscunt.* Job. 26. *Virtutes Cælorum movebuntur.* Mat. 24. Quæ testimonia de angelis exponunt hujus assertionis defensores. At nobis vero, qui ordinem servamus universi, qui naturis rerum ineptias nequaquam assignamus, qui legem sequimur Dei, integrum haud est, isti sententiæ subscribere. Hæc enim est corporum Cælestium dignitas, hoc postulat formarum excellentia, ut etiam peculiarem sibi vendicent motum, nempe circularem, qui est omnium perfectissimus. Non est enim ex indigentia corporis appetentis locum, in quo consistere potest, sed ex conservatione universi, quod longè est nobilius. Deinde statuta sunt a mundi constitutione Cælo & Astris leges à sublimi providentia, quas non per se, non per Angelos, sed per naturales formas exequuntur. Nemo terram ab intelligentia sustineri dicit ne in adversum aërem ruat; nemo maris æstus ab angelis cieri, & intra suos terminos componi prædicat. Hic rerum ordo, hæc natura est, pari modo videmus astra per signiferum viam carpere, ire, redire, & reciprocos exercere cursus, *prædicant ambulatione sua ordinatissima creatoris Majestatem*, ut loquitur Cassinus. Dicta scripturarum quæ allegant ab orthodoxis Theologis aliter explicantur, & nos putamus literas illas divinas, nec explicitè, nec implicite

elitè alia officia tribuere angelis, quam *adstare in conspectu Dei, eumque æternis Laudibus concelebrare, ministrare Numini in revelandis & annunciandis operibus ejus. Ad salutem piorum excubias agere, impios vero Dei jussu perdere & destruere. Piorum animas deportare in sinum Abrahe. Delectari felici successu prædicationis Evangelicæ. Et tandem comitari filium hominis, cum olim venerit judicare vivorum & mortuorum agmina.* Cum ergo nullum aliud officium ex sacris quovis modo erui potest, quod quidem angelis à Deo attributum, vel unquam uspiam ab illis susceptum aut expeditum fuerit: concludimus de officio rotandorum orbium coelestium, pro fabula Platoniorum & Scholasticorum habendum & irritandum esse. Adde nunc si placet summi Theologi D. Leonharti Hutteri eximium hac de re discursum, qui extat in locis ejus Communibus, sede de Creatione, Quæstione 7. pag. nostræ editionis 204. & sequentibus.

CAP. TERTIUM, De Globo Veneris.

§. 1.

Placet nunc jucunda Veneris speculatione oculos animû- que quantum scire datum est, pascere. Propterea quod illa post lunam, inter omnes Planetas, maximè se dimittat in Cœlo liquido, dum eccentrici sui perigæum seu imam absidem attingit. Volvitur per ætherei Oceani immensa spatia, *Epitheta pulchritudine inenarrabili, fulgore amabilissimo, mirandis picta Veneta phasium figuris.* Hujus syderis, post præmissa descriptionis lineamenta, consideratio, duo nobis relinquit ponderanda, exteriora schemata tum interiora gratiosarum virtutum effluvia.

§. 2. **V**ENUS est sydus cœleste opacum, *sphærico-scabrum solido-liquidum, rectè proportionatû, amicam vim toti conferens mundo.* Pleraque ex ijs, quæ supra ad lunam diximus, utpote de centro, Atmosphæra &c. intelligi possunt. Cæterum nullo proprio sed solis lumine nitet. Est *sphæricum* quia sphæricè illum-

minatur, habet suas asperitates, ad quas radii solares allisi, velut inter scopulorum intercapedines reflexi, lucem & calorem & virtutes globi *venerei* intendunt, ut munus suum exactius perfectiusque exequatur. Qua de causa, etiam globorum humidioribus substantijs, motus datus est, alijs vehementior, alijs tardior, prout cujuscunque natura requirit, quia *in natura rerum, nihil sine motu transigitur. Solidum esse & consistentem* facile apparet, quia per Coelum liquidum sine dissipatione sui revolvitur, estq; illa compages Terreū quid, Humidum quoque elementare, aquæ fortassis analogum, in ejusdem cavitatibus, venis, ductibus, meandrorum brachijs contineri & dulciter fluctuare, ratio judicat. Terra bis minorem esse communiter docent mathematici, quod an ita sit equidem ignoro: cum valde pugnantes circa hunc nodum, sunt scriptorum mentes: de gratioso syderis hujus effluvio, mox pauca addemus.

Magnitudo.

§. 3. Cæterum aliàs præcedere Solem mane, aliàs eundem subsequi, & vesperi eundem comitari, alias eidem conjungi, in recta linea existens, observationes docent. Quando oritur vesperi, tunc incipit descendere ab apogæo Epicycli, appellaturque *Hesperus* seu *Hesperugo*, in toto semicirculo orientali; inde à perigæo pergens mane emergit, transmutata in *Phosphorum* seu *Luciferum*, & sic in altero semicirculo occideprali perseverat. Duas ergo stellas fore inter se simillimas, antiquitas credidit, sed solertissimus *Pythagoras* primus de falsis errore mentes, non tam stellæ luce, quam face veritatis illustravit. Cum Sole subit diurnam conversionem, ac consequenter annum cum ea motum, abscedens ab eo, ut Scottus putat, 48. circiter gradus; circa proprium vero Axem, volvitur 14. circiter horarum spatio, ut judicavit Reita, idque non caret probabilitate, hac enim ratione, vis globi insita, melius se diffundit in naturæ amplitudinem.

Veneris nomina

§. 4. Deprehenditur quoque VENUS, varias phases exhibere, dum apparet, modo falcata, modo semiplena, modo

gib-

gibbosa & prætumida, iterum obscura & silens, mox pleno lumine illustrata. Unde concluderunt Astronomi, Venerem circa solem, tanquam circa motus sui proprium centrum moveri, & propterea aliquando supra, aliquando ad latera, aliquando infra solem incedere. Nam post matutinam emersionem, à radijs solis, apparet falcata, deinde circa maximam digressionem à sole, bifida; Postea ad Heliacam immersionem matutinam directe accedens, gibba, ac paulatim ad rotunditatem disci redacta. Cum vero ex fastigio sui pericycli descendere incipit, & vespersina facta, ex radijs Solis emerit, iterum apparet rotunda, circa digressionem maximam bissecta; prope stationem proximam, corniculata; in coniunctione autem perigæa cum sole, diebus utrinque proximis, latet sub ejusdem splendore.

Phases
Veneris

§. 5. Vis VENERIS specifica, est propemodum admirabilis, si modo ijs habenda fides, quæ Astrologi de ejus beneficio in sublunaria influxu docent; Enimvero aura ejus blandissima, liquidaque illa substantia, inenarrabili modo temperata, non tantum humida evaporatione, flagrantissimas solis flammæ amica refrigeratione mitigat, & retundit, verum etiam, operantibus reflectione radijs Solaribus in hujus longè lateq; exporrectis latebrarum gurgustijs, virtutis ejus potentias, partim per superiora disseminat partim in justa proportione, ad hæc inferiora detrudit. Hoc autem tam salutare effluviu tantam GRATIAM & DECOREM communicans omnibus, omnino prærequirit subjæctæ materiæ capacitatem, quam Philosophi nuncupant *dispositionem in subjecto*. Hanc ubi invenerit rite idoneam, sive id ex animalium vel vegetabilium, vel mineralium familia fuerit, ibi *gratiam & decorem* operatur. Reliqua vero, ob complexionis indispositionem ut incapacia, ita omnium svavitatum manent inexpertia; Quia imo ut sol, sua virtute singulari, alia siccet, quædam liquefacit, nonnulla emollit, multa indurat, alia pro ratione subjæctæ materiæ congregat. Sic stellarum reliqui suis spe-

Vis spe-
cifica

cificis qualitatibus gaudent, quibus, ad conservationem mundi, ad harmonicam rerum omnium unionem, conspirant. Profuse incanendis Veneris laudibus, suum stylum laxat egregius Poëtarum Lucretius:

*Aeneadum genetrix hominum Divumque voluptas,
Alma Venus, Cæli subter labentia signa,
Qua mare navigerum, que terras frugiferentes
Concelebras, per Te quoniam genus omne animantum,
Concipitur, visitque exortum lumina Solis.
Te Dea, Te fugiunt venti, Te nubila Cæli
Adventumque Tuum, tibi spavis dedala tellus
Summittit flores, tibi ridet æquora Ponti,
Pacatumque nitet diffuso lumine Cælum.
Nam simul ac species, patefacta est verna Diei
Et reserata viget, genitalis aura favonj,
Aëria primum, volucres Te diva, Tuumque
Significant initium, percussa corda Tua vi.
Inde fera pecudes, persultant pabula læta
Et rapidos tranant amnes; ita capta lepore
Te sequitur cupide quocunque inducere pergis
Denique per maria ac montes fluviosque rapaces.
Frondisferasque domos, avium camposque virentes
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem
Efficis ut cupide generatim secla propagent.*

CAP. QUARTUM.

De Globo Mercurij.

S. 1.

Epitheta
Mercurij.

Perambulat quoque sublimia Cælorum atria, igneam quoddam sydus, ab ipsis Astronomis MERCURII nomine intitulatum. Corpus egregie eximium, planeta omnino nobilis, largitor ingenij, instillator facundie, omnium denique operum industriorum auctuosus & pervigil moderator; Non ergo me continere possum, quin cum externam tanti sideris faciem, tum interiorum meandrorum pharmaca, brevissimis lineis signem.

MER-

§. 2. MERCURIUS est corpus sidereum, opacum, solidum, spherico-scabrum, rectè proportionatum, ingeniosam industriam rebus sublunaribus infundens. De genere, non est litigium; inter sidera enim Mercurium quoque recenseret candida vetustas. Est opacus, quia à summo sidere illuminatur sphericè, quod ab ejusdem phasibus colligitur; apparet enim modo falcatus, modo dichotomus, iterùm bissectus, modo silens & lumine minutus. Difficulus quidè hæc imagines in hac stella discerni Astronomi fatentur; quia æq; ac Venus movetur circa solem, velut centrum sui motus, gyro tamen multò arctiore, vix enim ab eo ultra gradus 28. digreditur ut putat Cassinus. Unde fit ut modo infra solem, modo supra eundem versetur. Præterea compositum esse Mercurium Ex solido & liquido elementari, mihi pervadeo, adeoque naturam rerum, ubique sibi similem, cuncta ad eandem amissis rectitudinem fabricasse omnino statuo. Duo enim hæc, adeo globis necessaria, ut sine illis nec consistere, nec vires específicas, quorum subjecta sunt, possunt exercere. Si enim ex solido saltem constarent, nec vapores elevari, diffundique, nec alijs mundi corporibus communicari possent virtutum operationes. Si vero ex solo humido essent fabricati, maxima inde nascerentur incommoda, quia homogenea humidi vis, uniformem in inferioribus effectum produceret, illumque maximè imperfectum. Sunt ergo in MERCURIO ut in cæteris, fortassis catenæ montium, marium latitudines, stagnantiumque aquarum diffusiones: ut non immeritè eum Spherico Scabrum appellare liceat, tum propter argumenta superius allata, tum propter macularum lucidarum, quæ Terram, & fulscarum quæ Aquam globi repræsentant, valida testimonia. Magnitudine superat lunam, reliquis autem magnitudo planetis minor esse deprehenditur.

§. 3. Ceterum mirabiles sunt Mercuriales virtutes, ut Virtutes Scriptores egregij tradunt: enimvero, quidquid in minera-
libus, & vegetabilibus spirituosum, vivax & ingeniosum^{ij}

Mercurij descriptio.

Ex folijs do & lijs quido

natur.

natura ludentis industria producitur; quidquid in animalibus in adveniendis aptis natura suae conservandae subsidijs est mirabile; quidquid in hominibus quo ad arcanarum rerum notitiam, artium & scientiarum inventionem mirificum & acutum occurrit, id globi hujus qualitati specifica acceptum ferendum est. Ubiunque enim subjectum virtutis suae lapax invenerit, ibi protinus radiosa sua influentia, organa cerebri ad inventiones rerum adaptat, cordis spiritum disponit, vitalem facultatem auget, dummodo nullo miscellaneo alterius sideris accessu impediatur. Cum vero non aequae vehementis in singulis partibus sit globi virtus, sed alibi debilior, alibi efficacior; hinc prudenti consilio factum est, ut Mercurius sex, ut putant, horarum spacio, tum circa axem suum vertatur, tum in circulo suo partim annuo, partim diurno, faciem suam vario adpectu, jam recto, modo obliquo, subinde nullo, terrae obvertat; quare virtus ejus non semper adequate influit, sed tum vel maxime, cum portiones insigni vi pollentes, nunc hanc, nunc illam telluris portionem recta attigerint. Id enim verum est, Mercurium aliquando Soli jungi, modo ab eo divagari, iterum eidem opponi; pro ut ergo radijs solaribus percussus fuerit, virtusque suscitata, excitat se per concitationem humoris, tum rarefactione, tum orbis proprii motu, sicque terrae virtutem suam communicat in momento & a quo passu cum luce. Quando enim lumen solis, terram illuminat, tunc etiam vim influxivam globorum, ad effectus appropriatos instimulat, & quamvis aliorum corporum radijs diversa vi imbutis misceantur, minime tamen confunduntur, sed unaqueque id quod à natura sibi praedeterminatum est, exequitur. Falsum ergo est Astra sola luce influere in inferiora, si enim lux praeter lumen nihil aliud in mundum devehret, eundem semper inferioribus effectum lucis provenire necessum foret, quod tamen experientiae repugnat, & longè est falsissimum. Facultate itaque lucis, reliquae vires veluti vehiculo quodam in inferiora delatae, ibidem corpora pro virtutis influxivae ratione, egregie alterant.

Præstantif. DR. RESPONDENS

Illa adeo profunda Veterum Sapiencia, Recentium Eruditio, omniumque Temporum Oratorum & Poëtarum dicendi vis etiam si sit ingenio sublimis, acuminibus gravis, flumine ipso magnifica; nunquã tamen Cœlorum fabricam, & astralium corporum habitudinem, cursum, conjugia condignè laudare & explicare valent. Enimvero si tanta copia rerum, quæ quovis momento in hoc inferiori mundo sensibus est obvia, magnam difficultatem objiciant curiosissimis ingenijs; quid sperandum de apparatu & magnificentia istorum globorum, quos ad tam remotam sedem relegavit tantæ machinæ Sanctissimus Conditor. Immortali Deo istæ etiam laudes vehementer placent, quæ ex infantum & vagientium ore, exeunt, ejusque Sanctum Numen palpitant. Te itaq; laudo *DN. Steenbergi* quod volueris mecum aliquid de jucundo argumento, balbutire, Vale.

à T. DANIELE ACHRELIO.

*Πρὸς τὸν ἀνδραγέον, καὶ ἀεὶ ἴμον Κύριον Γαβριὴλ σενβέργιον
Φιλόμουσον σχεδίασμα.*

Kαλὸν ἔργον πᾶσι, ἐν οἷς φυσικοῖς γράμμασι διατρέβοντες, οἴνευ
τὸν ἥλιον ὀφθαλμὸν τὰ κόσμους καλέμενον, τὴν σελήνην, καὶ ἄλλον κόσ-
μιον τὸν κόσμον, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ θαυμασὰ διὰ τῶν πλῆθων
κτιστῶν γενεῶν πεποιημένα ἀκριβῶς ἐρευνῶσι, καὶ ἐπὶ τῶν θαυμά-
ζουσιν. Ἡ δὲ ὁδὸς πρὸς τὸν ὑψίστον θεὸν ὀπιγνώσκω, καὶ τὸ εἰς
αὐτὸ ὕμνον ὁμῶς σὺν ἐπισητήτῳ κινεῖται. Εἰ ἡμῶν ἀηδῶν, ἐποιοῦν τὰ τῆς
ἀηδῶν, εἰ κύκνος τὰ τῶν κύκνων. Νῦν δὲ λογικὸς εἰμι, ὑμνεῖν ἀδιαλείπτως
με δεῖ τὸν θεόν, τῶ τὸ μὲν ἔργον εἶ. Ποιοῦ αὐτὸ, εἰς ἐγκαταλείψω τὴν ταξίν
ταξίν, ἐφόσον ἀν δίδωαι, καὶ ὑμᾶς ἐπὶ τὴν αὐτὴν ταξίν τὴν ὁδὸν πρὸς
καλῶ. Σὺ ἐν φίλῳ σενβέργι εἶσαι πρὸς αἰεὶ ἀρετῆς ἀρετῆς, τὴν τῆς
τὰ τῆς φύσεως δύσκολα καλὰ ἢ θαυμάσια σπεδῶν πικρὰ τὸν θεόν
δοξάζων, ὃν πᾶσι γράμμασι σε εὐλογεῖν προσέχομαι, καὶ ἅμα πολλὴν
τὴν εὐτυχίαν σοὶ ἀεὶ συμφέρει. Ἐρῶσ;

*Ἀσχολούμενος μὲν ἐν τῷ παρόντι πρὸς τὰ σπεδαῖα,
ἀλλ' ὅμως ἀσμένως εἰς τὴν πύλιν φίλα τῶ
ἡδίστα πάντε ἐγγραφον καὶ ἕτως συνήδομην*

ARVIDUS E. REUTHER.

[*Guis Cyllenes, fulgens Titbonia conjux,
 Splendentes caelo lumine purpureo,
 Stella Venus pariter quid sit nitidissima olympo,
 Praeside sub claro noscere nunc poteris.
 Ergo decus Charitum, mi Praestantissimo Steenbergi
 Cordis vitalis portio chara mei:
 Gratulor & laudo, quod sic ostendere pergis
 Dotes egregias, ingeniumque tuum!
 Et Votis semper venerabor numina sacra,
 Ut studiis veniant commoda multa tuis!*

Festinus hæc adposuit

GUSTAVUS HEMMELINUS.
 Alumn. Reg.

Æquis ut studiorum estimatoribus placent exaggerata illa ingenia
 qua eloquentia latice inebriantur, barbaricam anteverunt, me-
 rum titubationis, quod naturam combiberunt, evomunt, deinde instar
 modici primivum igniculi, affluente pabulo, paulatimque accrescente,
 latius usque diffundentis, ingenium privatis & publicis exercitatio-
 nibus augent, expurgant, molliunt: ita est contra sordent ingenia
 simiarum, qua levitate desultoria huc & illuc volitant, in nugis
 & quiescentibus triumphant, in serijs rebus emoriuntur, lang-
 vent, hebescunt. Intelligit hoc ad preclaram adspirans tuus animus,
 Frater caelo gratissime, qui pergis contemplari amabilem calis prestan-
 tiam, magnificentiam, varietatem & pompam, ac ad illa licentiam sa-
 craria anhelas, a quibus assentur preclara natura balsama; Quare
 gratulantur Paterni lares, quod sic sapientie producis fructus & in-
 genium educis ad purioris doctrina rivulos, quibus tenella germina ir-
 riguntur, ut melius crescant & felicius floreat, exoptando in poste-
 rum ut Prata, Sylvas, agros, & hortos lustres, ex honestarum arti-
 um thalamis instar apum succos extrahas, extractos referas in cellu-
 las, & sapientie in vita utilissimos prepares favos: Imo! Ulyssæo
 more navicula tua Dn. Respondens temet ica obstringas ut habeas
 descendendi, ne fas, no in Sirenum precipitia ruas. Vale.

ERICUS STEENBERGIUS.
 R.M. Stipend.